

05

A

930





כשם יהיה

DISPUTATIO METAPHYSICA

Posterior Α'νασχευατική

De

ENTE RATIO-
NIS RATIOCINANTIS.

QVAM

ATHENIS LEUCOREIS

publice συζητήσεται subjiciunt

PRÆSES

M. GERHARDUS WICHMAN

Lubecensis.

Et

RESPONDENS

JUSTUS SUTORIUS,

Mindâ-Westphalus.

Die XXVIII. Januarij.

in Audit. Minori.

VVITTEBERGAE,

Prælo Johannis Haken, M. DC. LX.

DISPUTATIO METAPHYSICA

Robertus

155

ENTRE RATI

ONIS RATIONANTIS

ONAM

ATHEMATICORUM

1717

1717

M. GERHARD WICHMAN

1717



930 A 50

JUSTUS

Mundt

Dr. phil.

in

Prälo Johann Haken M.D.C.LX

2





de Jure.



Ua equidem cuius libertas Philosophica est, non temere est in alterius verba jurandum, cum philosophantium scopus eò collimare debeat ut veritas in abstruso latens eruatur, & falsitatis nebulæ dissipentur. Nequaquam tamen monstrofa quædam introducenda est Philosophia, quæ absurdorum adstrutrix, dubiorum plurimorum altrix, inanium verborum cumulatix, & eorum, quæ apud omnes in Confessio sunt, quæque sana ratio dicitur, ex pultrix jure vocari queat. Qualem Philosophiam verè monstrosam proponit JOHANNES CARAMUEL in Theologia sua rationali, ubi inter alia lib. 2. *Metalog. qui est paralogicus de entibus rationis & lingue: ab initio statim: entiarationis* ratiocinantis seu chimærica planè eliminat, inq; locum eorum entia lingue, quæ vocat, substituit, *Vienne, inquit, Anno 1647. hanc propositionem defendi: Ens rationis, quod habet esse tantum in intellectu, non datur.* Sed benè eam defendam esse & sine veritatis dispendio credat judæus Apella, subjungit demum; *se re benè discussâ nihil intelligere posse nomine entis rationis, quam ens lingue: de quo judicent cordati.* Nos impræsentiarum rationes quasdam (omnes enim delibare chartarum angustia non permittit) quas princ. 3. p. 49. & 50. pro negatione Entis rationis ratiocinantis in intellectu humano quoad singulas tres ipsius operationes adducit, ponderabimus, & quam validæ eadem sint, breviter dispiciemus. Deus nobis adsit!

THEOREMA GENERALE

§. 1. Quamvis exactè & fusius hic in Thesi de ente rationis ratiocinantis agere instituti nostri vetet ratio, cum in antithesi examinanda versemur, dari ens rationis ratiocinantis seu chimæricum, illudque ab intellectu humano in singulis tri-

lis tribus illius operationibus, apprehensione iudicio, ac discursu formari, ac esse tantum objectivum in intellectu, enti ativum ac reale nullibi habere, ut verum supponimus, cum uberem hujus rei diductionem ac probationem & ipsius entis rationis Chimærici præcisè Spectati, & existentia ejusdem in singulis tibus intellectus operationibus per exempla factam, nec non alia de eodem scitu necessaria, disputatio Κατασκευαστική peculiaris suppeditaverit.

§. 2. Quare rectè progredimur ad rationum contrariarum Caramuelis confutationem. Ac primùm quidem Caramuel, antequam in specie ad quamlibet trium intellectus humani operationum cum rationibus suis, si diis placet, validis se vertat, generalem rationem seu argumentum generale proponit: *Positivè & efficaciter, inquit, sit argumentor: omnes operationes intellectus reduci debent ad apprehensionem simplicem, iudicium & discursum; Atque nulla ex his operationibus attingere potest ens rationis, Ergo tale ens non est ab intellectu cognoscibile.* Ante omnia hic desideramus structuram hujus argumenti in legitimâ figurâ ac modo, erit igitur syllogismus Caramuelis talis: Cujuscunque causa, quæ est operatio intellectus, neque ad apprehensionem ejus simplicem neque ad iudicium, neque ad discursum reduci potest vel debet, quodque ipsum ut objectum aliquod hæ tres intellectus operationes attingere nequeunt illud in intellectu humano non datur. Atqui de ente rationis ratiocinantis seu chimærico verum est prius E. & posterius. Majorem propositionem ut veram concedimus, cum omnis operatio intellectus, vel in apprehensione vel iudicio vel discursu versetur. At minorem ut falsissimam quoad utrumque membrum ἀποτόμως negamus sed videamus probationem Minoris propositionis. *Probo minorem, inquit: Nam constat experienciâ, non posse hominem concipere Album carens albedine: Nec iudicare Album carere albedine: Nec formare hunc discursum: Est Album: Ergo caret albedine: Quia, inquit, hoc esset concipere contradictoria, & temerare principia, quæ posuimus.* Respōdem⁹ etiâ negando hanc probationē minoris, quæ nulla prorsus est, Nā contrarium experientia docet. Quis n. nunc nostrum,

nostrum, si velit, non poterit concipere ac apprehendere album carens albedine? aut judicare, quamquam falso in hac propositione: Album caret albedine: Illud ipsum album cum præcisâ ac negatâ coexistentiâ albedinis, cõceptum etiâ in sese albedinem non habere? aut tandem formare hunc discursum: Est album. Ergo caret albedine etiamsi hæc a parte rei se ita non habeant, & vera non sint. Sed instat: *Quia hoc esset concipere contradictoria & temerare principia, omninò!* Sed distinguendum est: inter *to* concipere contradictoria, & temerare principia & inter *to* non posse concipere contradictoria & temerare principia, prius concedimus, posterius negamus. Prius pro nobis militat, cum per id fiat ens rationis Chimæricum. Posterius v. negamus, ejusdemque probationem ad huc petimus.

PUNCTUM PRIMUM.

§. I. Præmissis hoc generali ratiocinio *eidem* ad primam intellectus operationem se convertit Caramuel, & entia rationis ab apprehensione nunquam concipi posse asserit: *Entis rationis, inquit, fabricati, ab apprehensione Species, ut communiter assignantur, sunt chimæra, negatio, Relatio; Atqui hæc omnes sunt Entitates reales: Ergo entia rationis non dantur.* Respondemus negando assumptum, esse enim has entitates reales dicitur tantum à Caramuele, non probatur. Qualis quæso entitas realis est Chimæra? monstrum est fictitium, in Poetarum cerebello natum, est formalitas fictitia objectiva, ad modum substantiæ alicujus, quæ sit ante leo, retroque draco, & in medio capella, à poetis per rationem ratiocinantem concepta, adeoque est verum ens rationis ratiocinantis, in re nulli fundamentum habens, quod a. Caramuele & à nemine mortalium unquam fuit visum. Negationem quod attinet, quis huic realitatē aut entitatem aliquam adscribet? cum lapis dicitur non videre, negatio est quid illa positivi involvit? Nihil. Neque in conceptu meo, neque in relatione ad lapidem. Tandem quod spectat relationem, per hanc aut relationem realem aut rationis intelligit Caramuel, tertia enim

non datur. Utroque modo captum eum esse demonstrabimus: si de reali relatione loquitur, utique non negamus, eam esse entitatem realem, sed ita ineptè ac impertinenter id, quod est ens reale ac positivum adducit loco entis rationis & per consequens exinde probare nequit, non dari entia rationis. Si de relatione rationis loquitur (de qua eum loqui veri similis est) aut loquitur de ea, quæ in re habet aliquod fundamentum, licet non sufficiens, aut de ea, quæ omninò est conficta per intellectum absque ullo fundamento ex parte rei: de priori loqui non potest, quoniam illa spectat ad entia rationis ratiocinata, totus autem discursus Caramuelis de ente chimærico seu ente rationis ratiocinantis est institutus, quod si hunc intelligeret, rursus impertinenter hanc relationis Speciem afferret. Tandem ergo relinquitur, loqui Caramuelem vel loqui eum debere de posteriori relatione rationis, quæ est omninò ficta ab intellectu sine fundamento in re. Nunquid igitur hæc habet entitatem realem? Nihil minus. Sumamus relationem similitudinis inter duas chimæras, vel dissimilitudines, inter chimæram & Hirco cervum, utraque est relatio rationis sine prævio in re fundamento, & neutra habet esse aliquod reale, ac positivum, sed tantum esse in intellectu objectivum per rationem ratiocinantem, non habito jam respectu ad conceptum formalem. Tantum igitur ab est, ut chimæra, negatio, & relatio rationis sine fundamento in re, sint entitates reales, quod affirmabat, sed non probabat Caramuel, potius sint entia rationis, erè concipientis seu ratiocinantis quod jam probatum dedimus.

§. 2. Pergit Caramuel, adducitque montem aureum, qui aliàs à plerisque autoribus solet numerari inter entia rationis Chimærica. *Mons aureus, inquit, potest fieri divinitus imò Potèsi (mons est America) tributavit Hispaniæ tot pondera probati argenti, ut mons argenteus humanitus effici posset.* Respondemus: Non quæri de possibilitate existentia montis aurei aut argentei, sed de existentia ejus actuali, de præsentia entitativa ac reali: Distinguendum igitur est, inter possibilitatem existentia actualis montis aurei & argentei, inter actualem ejus existen-

existentiam, & actualem non existentiam. Possibilitas existentiae actualis nihil hoc loco facit, ad essentiam alicujus entis rationis ratiocinantis actualis v. non existentia a parte rei necessario requiritur, quam tollit existentia actualis a parte rei, sive igitur detur possibilitas existentiae actualis montis aurei aut argentei sive non detur, perinde erit modo exulet actualis a parte rei existentia, habentque locum actualis non existentia a parte rei tamen intellectus hac ratione montem aureum aut argenteum sub certâ formalitate fingendo, eformat ens rationis chimæricum seu ens rationis ratiocinantis, quod habet esse in intellectu tantum modo objectivum, & subjective nullibi existit.

§. 3. Profert tandem Hirco cervum Caramuel, eadē, qua antea, ratione instructus. *Hircocervus, inquit, chimæra non est quoniam Hircocervus possibilis est; quia nulla est repugnantia, ne ex hirco & cervo per commistionem resultet tertia species, quæ participet utriusque naturam.* Respondemus: rursus de possibilitate sermonem esse, quam hic non negamus, posse scilicet ex congressu hirci cum cervo resultare tertiam speciem, ab alijs effectis rectis ac perfectis specie distinctam, adeoque oriri inde monstrum aliquod speciem mutans, sed quæritur num facile fiat talis mixtio num detur hirco cervus actu existens, quod negamus, quamdiu n. hircocervus actu a parte rei in natura existens non monstratur, tamdiu hircocervus ratione sui conceptus objectivi potest etiam numerari inter entia rationis ratiocinantis. Instat Caramuel: Si admittam inquit illam identificationem [Physicam scilicet] hirci & cervi esse impossibilem, nego tamen posse has naturas concipi ut identificatas. ratio, inquit, sumitur à conceptu identificationis: Nam illa identificantur (logicè scilicet) quæ adequate uniantur. (Scilicet logicè) atqui hæ nature non possunt concipi ut adequate unite ergo neque ut identificata: Major est certa, quia illa sunt identificata, quæ magis uniri non possunt; Minor probatur: Natura unius animantis si distinguitur ab alia, est ut numerus à numero, hoc est ut species a specie, Atqui non potest concipi ternarius implens quaternarium; Ergo non potest concipi natura ignobilior adequate
unica

limita nobiliori, Ergo neque identificata. Respondemus negando
 assumptum Caramuelis seu id, quod minorem vocat propo-
 sitionem, concedimus ea, quæ ut identificata concipi debent,
 aut actu in mente, ut sint unum idemque suppositum combi-
 nantur, etiam in mente ad æquatè uniri, & unienda esse, cum
 eatenus illa identificatio duorum vel plurium ad unum si-
 stendum intellectui suppositum necessario supponit adæquatã
 eorum unionem, imò sine illa unione mentali duo ut identi-
 ficata concipi, vel identificari nequeant, ut ferè hac ratione
 unio illa ac identificatio mentalis duorũ ad unũ sistẽdũ intelle-
 ctui suppositũ [Salvã tamẽ in illa actione mētis relicta diver-
 sitate naturæcujusque ut Hircocervi vel chimæra] in uno quodã
 conceptu quid ditativo conveniant, Verum enim verò illam
 duorum vel plurium extra intellectum neque simpliciter ne-
 que in unione reali existentiũ, unionẽ mentalẽ seu conceptibilẽ
 impossibilẽ esse simpliciter inficiamur, quod adhuc proban-
 dum esse asseveramus. Nullius autẽ momenti est inepta illa mi-
 noris a Caramuele adducta probatio, cum, inquit; *duo illa
 animantia specie quæ differunt, ut hircus & cerva, distinguuntur
 ut numerus à numero, ut species à specie, atqui ternarius non potest
 concipi implens quaternarium, Ergo neque concipi potest natura
 ignobilior adæquata nobiliori; Ergo neq, ut identificata.* Respõdeo
 Miscet Caramuel quadrata rotundis inepta & falsa adfert,
 quæ responsionem non merentur. Negamus concipi non pos-
 se naturam ignobiliorem, adæquatam nobiliori probare con-
 trarium conatur Caramuel adducendo numeros ternarium &
 quaternarium, ita repentè Metaphysicus qui erat, evasit Ari-
 thmeticus, sed quomodo? *Quia, inquit non potest concipi ter-
 narius implens quaternarium.* Respondeo ambigua est propo-
 sitio hæc: Ternarius implet quaternarium: vel enim æqui pol-
 let huic, Ternarius additus quaternario auget eum ut $\frac{4}{3}$ & hoc
 verissimum est, uti jam in re ipsa hoc verum ita etiam verè cõ-
 cipi non tantum potest, sed debet, falsumque est concipi
 non posse, & per consequens probatio est straminea vel propo-
 sitio: ternarius implet quaternarium, æquipollet huic: ter-
 narius

narius eundem habet valorem quem quaternarius, seu est ipse quaternarius, quo sensu eam videtur intelligere Caramuel, jam & si in re falsum hoc sit, quis tamen mente ut verum concipere non valebit? O ineptias

PUNCTUM SECUNDUM

§. 1. jam ad secundam intellectus operationem progreditur Caramuel, & entia rationis ratiocinantis etiam à judicio componente seu dividente non percipi affirmat. In genere autem primò monet. *Ens rationis non esse, quod objective est in intellectu, & subjective non existit: sed illud, quod objective est in intellectu, subjective autem nec de potentia absoluta Dei potest existere, Resp.* Quod antea diximus de possibilitate actualis existentiae alicujus objecti, idem repetendum est de impossibilitate actualis existentiae, neque hæc requiritur ad essentiam entis rationis ratiocinantis, sed sufficit actualis non existentia, unde etiam falsum esse hoc ipsum Caramuelis monitum ὁφθαλμοφανές patet: it-

§. 2. Præmissio illo monito rectà ad compositionem & divisionem mentis secundam operationem pergit Caramuel: *Hæc propositio, inquit, Homo est leo, est falsa, non est rationis ens, quia potest fieri vera per absolutissimam Dei potentiam, ita ut natura leonina & rationalis ab eadē subsistentia humana terminentur, uti humana & divina ab eadē personalitate terminantur & tunc esse verū dicere: homo est leo; non secus atque est verum dicere: Deus est homo: R. 1. nulla est connexio: Non est ens rationis, quia potest fieri vera, de esse enim non de posse hic disquirimus. 2. Malè & ineptè prorsus propositionem hanc, ut scilicet verum sit dicere: Homo est leo: ad potentiam divinam restringit Caramuel, cum divina potentia sese non extendat ad ea, quæ sunt impossibilia naturâ, & rationem factibilitatis, ut loquuntur, non habent: Deus enim non agit contra naturam, ut eam evertat, sed supra naturam.*

§. 3. Pro divisione adfert Caramuel hæc propositionem: Deus non intelligit: hæc non esse ens rationis ratiocinantis, probare conatur hoc modo: *Per Deum, inquit, in propo-*

B

sitione

*sitione hęc intelligis vel substantiam ut sic, vel substantiam infinitam
 scilicet: Deum non intelligentem, si prius, verum dicis, nam lapis &
 alie substantie non intelligunt, si posterius, lingua id asserit, quod
 mens concipere nequit. R. Ridicula sanè hęc est Caramuelis ratio:
 Quis enim non videt, hic subjectum seu terminum Dei non sup-
 poni debere, indeterminate & in conceptu confuso pro substan-
 tia ut sic, sed potius determinate in conceptu distincto pro sub-
 stantia infinita ipso Deo glorioso, & hinc nulla est consequentia.
 Sed si ita supponatur, inquit, non tamen fiet ens rationis, quia lin-
 gua hoc asserit & mens non concipit. Resp. non de externa hu-
 jus propositionis prolatione ad extra, operà linguæ factâ sermo
 est, verum de efformatione ejus in intellectu, & hoc modo an a-
 ctu in eo efformetur, an efformatu impossibilis sit disquiritur,
 quod sine fundamento in re mente tantum intellectualitas hic à
 Deo removeatur, asserimus, cum Deus verè imò infinite & ut re-
 proxime intelligat, adeoque hęc propositio manet ens rationis
 ratiocinantis. Deinde etiam negamus hanc propositionem ens
 linguæ esse, eo ipso enim dum concipitur, & quamdiu fingitur,
 & ad extra beneficio linguæ non profertur, est tantum ens ratio-
 nis, quod si voce profertur, ens linguæ etiam vocari poterit, non
 tamen desinet esse ens rationis, cum causam efficientem agnos-
 cat rationem, & postea voce proferatur, imò lingua nequeat
 proferri, nisi antea mente concipiatur.*

PUNCTUM TERTIUM

*§. 1. Tandem ad discursum ultimam intellectus ope-
 rationem se convertit Caramuel: Tertiamentis operatio: inquit
 non attingit rationis entia: Nam bifariam posset dici entia facta
 concipi à discursu, primò directè quando infert consequentiam chime-
 ricam: Secundo reflexè quando cognoscit relationes logicas chime-
 ricas, Majoris, Minoris & consequentia. Dico nullatenus entia
 rationis fieri à discursu, primo non directè, quia talis consequentia
 Chimerica est impossibilis, quia impossibile est concipere contradicto-
 ria, seu idem simul esse & non esse, ut est animal ergo insensibilis. Di-
 co 2. inquit, neque reflexè: Quia actus ille reflexus, qui cognoscit
 relationem antecedentis, & consequentis apprehensio simplex est, non
 discurs-*

discursus. Ergo nec hæc apprehensio attingit ens rationis, quia siue
realis est subjecti & predicati relatio in propositione, Sic relatio ante-
cedentis & consequentis in syllogismo.

§. 2. Vana omnia, falsa omnia sunt Caramuel, tribus
respondemus verbis. Qualis hæc sequela est 1. discursus infer-
re, nequit, consequentiam Chimericam enthymematicam seu
directam uti eam vocas E. g. Est animal: Ergo insensibilis. Ratio
est, quia impossibilis est, concipitur enim idem simul esse non esse:
Dist: inter impossibilitatem à parte rei essendi, & inter impos-
sibilitatē concipiendi, priorē concedimus, posteriorē de qua uni-
cè disquiritur & quæ nondum probatur, negamus. *Addit 2. neq;*
reflexè: quia relatio antecedentis & consequentis discursiva seu syl-
logismus talis Chimericus integer, est apprehensio simplex, Non dis-
curfus, quæ non attingit ens rationis quia realis est. Resp. 1.
Neque apprehensionē esse quia contradictionē implicat, esse ap-
prehensionem & tamen discursum. 2. neque reale quid eam esse
quia reale esse & Chimericū seu rationis ens esse, rursus sese mu-
tuo tollunt. 3. Negamus relationem subjecti & predicati Chimeri-
cæ propositionis realem esse. Ergo ab hac ad

illam argumentari non licet.

Δόξα θεῶν ὄντι τῶν ὄντων.



Mi JUSTE, mens reverentior Dei tui
Et muneris tui scopique observantior
Studiorum, amore veritatis quæ moves
Certamina? Tuâ digna certé vividâ
Indole. Tibi de laude gratulor illius,
Ac fausta fortunataque studijs precor!

Quod gratul. de proper.

Constantinus Sagra SS. Th. Lic.
Phys. P. P. & h. t. Decanus.

Quid quæso ens linguæ est, excludens en-
tia mentis?

Monstrum à monstroso CARAMIELE
fatum.

Hoc mecum extrudens, & firmans entia,
mentis,

Mens tua quid valeat ritè probare potes.

In honorem eruditissimi

ac Præstantissimi Dn.

Respondentis àutorædiæ

PRÆSES

Si cupiat sutor venales vendere merces,
Tunc opus, at firmum stamine nectat opus.

Vivida te celebris commendat sarcina sutor,
Dum justò doctum pollice fingis opus;

Nam proba laudati molimina disseris Entis
Quod totâ vernans sede Cathedra probar.

Propterea simili concurrimus undiq; motu
Atq; tuas nobis ære paramus opes.


Cœlipotens Dominus Trini qui continet Entis
Numina cœlesti Pneumate cœpta regat.

Ut celebri plures quondam conamine prodas,
Utq; novâ factum laude probemus opus.

Ita

*Conterraneo suo fraternè dilecto gratu-
labundus adjiciebat*

**JOHANNES DANIEL Hoffmeister/
Petrihagâ Westphalus.**



n
E
b
s.

05 A 930

ULB Halle 3
003 761 452




V 17

RL







METAPHYSICA
 Ἀνασχευατική
 RATI.
 OCINANTIS.
 AM
 LEUCOREIS
 τῆ(εἰ subjiciunt
 ESES
 US WICHMAN
 ecensis.
 et
 ONDENS
 SUTORIUS,
 Westphalus.
 III. Januarij.
 it. Minori.
 BERGAE,
 laken, M. DC. LX.
 5
 5